

029

027

033

023

038

018

078

128

Ende

Anfang

14

quaerere et sequi necesse est. Apostolica namque fides et
vita de terra sancta pene defecit, greges etiam, qui apostolos
Christi sodales et nostros pastores in magno numero sequi
solebant ad pascua, iam dispersi sunt per orbem, et a Ierusa-
lem migraverunt; quod deplangit Jer. c. X. v. 21. dicens:
Omnis grex eorum dispersus est. Et Esai. 17. 2: Derelictae
civitates gregibus erunt. Olim enim erant civitates, villae,
et etiam nemora terrae sanctae, repleta gregibus, ibi videbantur
agni multi per innocentiam, oves per patientiam, boves per
maturitatem, aselli per simplicitatem; elephantes per castitatem,
cervi per cursum fervoris, vaccae per Praelatorum sollicitu-
dinem post vitulos mugientes, et lac copiose ministrantes. O
quam delectabile tunc erat in peregrinatione evagari, egredi,
et abire, quando non post vestigia gregum, sed post voces
pastorum, ipsi greges et peregrini in gregibus ad pascua
sanctorum locorum ducebantur. Tunc enim S. Petrus, princeps
pastorum, greges dominicos pavit coelesti sapientia, quando
nec caro nec sanguis sibi revelavit, sed pater coelestis infudit;
De quo Matth. 16. v. 17. S. Paulus eos pavit vitam angelicam
inducendo. Ideo dicit: nostra conversatio in coelis est. Phil.
3. v. 20. S. Andreas eos pavit, crucis mysterium aperiendo,
et ejus gloriam ostendendo. Unde dicit cuidam: O si velis
nosse mysterium crucis, operietur tibi via salutis. S. Jacobus
Major oves dominicas pavit, secreta salutaria eis manifestando.
S. Johannes eos pavit, dulcedinem inculcando. S. Thomas,
fidei verae alimenta ministrando. S. Jacobus minor, sanctitatis
exempla dando. S. Philippus, coelestibus desideriis eas im-
pinguando, et eas his contentari docuit, dicens: Domine, ostende
nobis patrem, et sufficit nobis. Joh. 14. 8. S. Bartholomaeus
assidue orare docuit, et ita verum pabulum quaerere. S.
Matthaeus poenitentiae cibo saginavit Christianos. S. Simeon
ad obedientiae praeseppe greges Christi ligavit. S. Thaddaeus,
ad jugem confessionem divinae laudis eas induxit. S. Matthias
ad humilitatem eas instruxit. S. Lucas, bos laboriosus, ad
laborandum animavit Christi oves. S. Marcus, leo terribilis,
timorem Domini inculcavit. S. Barnabas sua sollicitudine
multos ad salutis pascua induxit. Unde factum est, ut longe
post apostolos sanctos tota Syria, Terra sancta, Galilaea,

